

dum. Hoc sensu Paulus Rom. I. 1. se vocat servum J. C. κλητον αποστολον, *vocatum apostolum*, αΦωρισμενον, *segregatum ad evangelium*. Sicuti enim Deus omnia quæ hominibus æternum salvari cupientibus vel credenda vel facienda sunt, in divino sacrarum literarum codice consignare, ita etiam quosdam esse voluit ministros suos, qui per publicam verbi sui prædicationem, & sacramentorum ad fidei vel collationem vel confirmationem a se ordinatorum dispensationem, ad ea, quæ iis credenda & facienda proposuit, invitent. Quod autem vocatio divina omnibus divinorum mysteriorum dispensatoribus ad hoc, ut cum fructu in domo Dei versentur, sit necessaria, hoc docet apostolus Rom. X. 15. *quomodo autem prædicabunt, nisi missi sint?* Imo vero Ecclesiæ nec possunt cum fructu, nec debent audire eos, quos Deus non misit. Ita enim Jerem. XXIII. 14. ipse Deus præcepit: *Nolite audire verba illorum, non enim misi eos.* Etiam si autem hæc verba in eo loco præcipue fortassis pertineant ad vocationem *immediatam*, & extraordinariam; tamen vera & legitima vocatio, sine qua nemini ministerium sanctum obire licet, probe & recte distinguitur in *immediatam* & *mediatam*. Illa dicitur, quando aliquis ab ipso Deo immediate absque ullo hominum interventu ad ministerium evangelii vocatur. Obtigit ea in V. T. prophetis & in N. T. apostolis, quos Deus, ut de divina vocatione constaret auditoribus, notitia linguarum, dono miraculorum, aliisque testimoniis Sp. S. exornavit, ut probare hominibus & manifesto ostendere possent, se à Deo esse vocatos. Ecclesiæ nostræ sententiam de illa vocatione immediata rectissime edocet

docet